

sunt Giguri, Pefici, Lacienses, Zoela. Numerus omnis multitudinis ad cxxl. M. liberorum capitum. Lucensis conuentus populorum est xvi. praeter Celticos & Lebnos ignobilium ac barbarae appellationis, sed liberorum capitum ferme clxvi. M. Simili modo Bracarum xxiii. ciuitates cclxxv. M. capitum, ex quibus praeter ipsos Bracaros Vibili, Celerini, Galleci, Aequeslici, Querquerni citra fastidium nominentur. Longitudo citerioris Hispaniae est ad finem Castulonis à Pyrenaeo, secenta septem M. pass. & ora paulo amplius. Latitudo à Tarracoe ad littus Olarsonis cccvii. Et radicibus Pyrenaei, ubi cuneatur angustus inter duos maria, paulatim deinde se pandens, qua contingit ulteriore Hispaniam, tantundem & amplius latitudini adiecit. Metallis, plumbi, ferri, eris, argenti, auri, tota ferme Hispania scateret, Citerior & specularibus lapidibus: Batia & minio. Sunt & marmorum lapidum. Vniuersa Hispania Vespasianus Imperator Augustus iactatus psocellis Reip. Latius inus tribuit. Pyrenaei montes Hispanias Galliasque; disterminant. promontorijs in duo diuersa maria proiectis.

Narbonensis prouincia.

CAP. IIII.

Narbonensis prouincia appellatur pars Galliarum, quae interno mari alluitur, Bracata ante dicta, amne Varo ab Italia discreta, alpiuque; saluberrimis Romano imperio iugis. A reliqua vero Gallia latere septentrionali, motibus Gebena et Iura: agrorum cultu, uirorum moruque; dignatione, amplitudine operum nulli prouinciarum postferenda, breuiterque; Italia verius quam prouincia. In ora regio Sardonum, intusque; Consuaranorum. Flumina Telin & Obrin. Oppida, Illiberis, magna quondam urbis tenue uestigium, Ruscinon Latinorum, flumen Atax à Pyrenaeo Rubrensem permeans lacum: Narbo Martius, decumanorum Colonia xii. M. pass. à mari distans. Flumina, Araris, Liria. Oppida de caetero rara, praecipientibus stagnis, Agatha quondam Massiliensium, & regio Volcarum Testosagum: atque ubi Rhoda Rhodiorum fuit, unde dictus multo Galliarum fertilissimus Rhodanus fluvius, ex alpibus se rapiens per Lemantum lacum, segenemque; deferens Ararim, nec minus seipso torrente Isaram, & Druentiam. Lybica appellantur duo eius ora modica. Ex his alterum Hispaniense, alterum Metapinum, tertium idemque; amplissimum Massalioticum. Sunt autores, & Heracleam oppidum in ostio Rhodani fuisse, ultra fossam ex Rhodano centum pass. Marium opere & nomine insigne stagnum: Astromela oppidum, maritima Auaticorum, superque; capi lapidei, Hercules praetiorum memoria: Regio Anataliorum, & intus Desuuiatum, Cauarumque. Rursus à mari Tricorum, & intus Tricollorum, Vocontiorum, & Segouellaunorum, mox Allobrogum, ac in ora Massilia Graecorum Phocensium foederata. Promontorium Citharista, portus, regio Camatullicorum. Dein Suelteri, supraque; Verrucini. In ora autem hac Athenopolis Massiliensium: Forum Iulii Octavianorum colonia,

quae Pacenses appellatur, & classica: amnis in ea Argenteus, Regio Oxybiorum, Ligauorumque; super quos Suebri, Quariates, Adunicates. At in ora oppidum Latinum Antipolis. Regio Deciatium: amnis Varus, ex alpium monte Cema profusus. In mediterraneo colonia Arelate sextanorum, Blitere septumanorum, Arausio secundanorum. In agro Cauarum Valentia, Vienna Allobrogum. Oppida Latina, Aquae sextiae Salyorum, Auennio Cauarum, Aptaulia, Vulgentium, Alebecerium Apollinarium, Alba Heluorum, Augusta Tricastinorum: Anatilia, Aeria. Bormamico, Macina, Cabellio, Carcasum, Volcarum, Testosagum: Cessero, Carpentoraete, Meminorum: Cenices, Cambolesti, qui Atlantici cognominantur, Forum Voconii, Glanum Liuii, Lutuanii, qui & Foroneronenses, Nemausum Arecomicorum, Piscena, Ruteni, Sanagenses, Tolosani, Testosagi Aquitaniae contermini. Tascodunitari, Cononenses, Vmbratici: Vocontiorum ciuitatis foederata duo capita, Vasco et Lucus Augusti. Oppida uero ignobilia xix. sicut xxxiii. Nemausiensibus attributa. Adiecit formula Galba imperator ex in alpinis Auaticos, atque; Ebroduntios, quorum oppidum Dinia. Longitudinem prouinciae Narbonensis cclxx. M. pass. Agrippa tradit, latitudinem 248.

Italia, Tiberis, Roma, Campania. CAP. V.

Italia dehinc, primique eius Ligures, mox Heturia, Umbria, Latium, ubi Tiberina ostia & Roma terrarum caput xvi. M. pass. interuallo à Mari. Volcorum postea littus & Campaniae, Picentinum inde, ac Lucanum Brutiumque; quo longissime in meridiem, ab alpiu pene lunatis iugis, in maria excurrit Italia. Ab eo Graeciae ora, mox Salentini, Pediculi, Apuli, Peligni, Ferentani, Marrucini, Vestini, Sabini, Picentes, Galli, Umbri, Tusci, Veneti, Carni, Iapides, Istri Liburni. Nec ignoro ingrati ac segnis animi existimari posse merito, si breuiter atque; in transcurso ad hunc modum dicatur terra, omnium terrarum alumna eadem & parens, numine deum electa, quae calum ipsum clarius faceret, sparsa congregaret imperia, ritusque; molliret: et tot populorum discordes, ferasque; linguas, sermonis commercio contraheret ad colloquia, et humanitatem homini daret, breuiterque; una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret. Sed quid agam? Tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit, tanta rerum singularum populorumque claritas tenet. Urbs Roma, vel sola in ea, & digna tam festa ceruice facies, quo tandem narrari debet opere? Qualiter Campaniae ora per se, felixque; illa ac beata amenitas? ut palam sit, vno in loco gaudentis opus esse naturae. Tam vero tota ea vitalis ac perennis salubritatis caeli temperies est, tam fertiles capi, tam aprici colles, tam innoxii saltus, tam opaca nemora, tam munifica sylvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum & uinum olearumque; fertilitas, tam nobilia pecori uellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot annuum fontiumque; ubertas, totam eam perfundens, tot maria, portus,